.H. P.

.1671.

Epicedia,
Piis manibus
Lectißimæ honoratißimæq;
FÆMINÆ,

ELISABETHÆ SCHWALGIANÆ,

VIRI
Excellentißimi, Consultißimi,
Dn. SEBASTIANI HEMPELII
J. U. D. eximij, & S^æ Regiæ M^tis Sveciæ, ut & Illustrissimi ac Potentissimi Principis ac Domini Dn. BOGISLAI Ducis Pomeraniæ &c. Clementissimi, Consiliarij fidelissimi, Conjugis qvondam dilectissimæ, desideratissimæ,
Consecrata
à
Condolentibus.

STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII.
ANNO 1636.

IN cœlos abiens *Conjux*, Amplissime Doctor,
Elisabetha cor est frangere visa tuum;
Elisabetha, Tibi qvæ credita summa voluptas,
Et sperata Domus fixa columna fuit.
Cordolium fecit, fateor, prægrande; sed audi:
Filiolam pro se mox abitura dedit.
Hæc tibi denatam referet virtute probisq;
Moribus: Hæc luctus molliet usqvê tuos.
Tu capesis animum, vir magne, & tristia verbi
Nectare divini dilue cuncta. Vale.

Testandæ observantiæ & Condolentiæ causâ facieb.

M. Martinus Leuschner Duc.
Pæd. Stet. Rector.

HEu! lætum nuper quæ fecit prole Parentem,
Tristem nunc Viduam præcoce morte facit.
Quæq; puerperij perfuncta laboribus ædem
Visebat, grates persoluëndo, sacram;
Mox novus hanc morbus fervoribus urget acutis,
Et necat, & gelido dat tumulare solo.
En subitæ miræq; vices! Ita proxima semper
Tristia sunt lætis, & mala juncta bonis.
HEMPELI, deînceps etiam fore, crede, malorum
Lætorumq;, DEO distribuente, vices.
Nam tibi solamen post sævos IPSE dolores,
Et grave post vulnus pectora sana dabit.

Observ. & condol. Dn. Compatri &
Faut. declar. caus. f.

M. Heinr. Kielmannus Viennens. Gr. Ling. & Poës. Prof.
& ConR. Ducal. Pædag. Stet.

NOn dolor major perhibetur esse,
Dira qvàm Mortis rigidæ tyrannis
Si fide sanctâ duo conjugata
Corcula solvit.
Interim sed nos tolerare qvosq;
Ut decet casus: ita nunc beatam,
Magne Vir, mortem properam maritæ
Ferre memento.
Nam DEus donat; DEus ipse & aufert.
Cepimus qvando bona, sustinere
Et malum fas est. Benedictum *Iövæ*
Nomen in ævum.
Hic, precor, sacro qvoq; flamine adsit
Et Tibi, & cunctis, malè qvos habet nunc
Tristis hic casus, tribuatq; Vobis
Prospera qvæq;.

ξυμπενθῶν ἐσχεδ.

M. Ericus Pelshofer, Duc. Pædag. SubR.
Eloqv. Prof.

LEcta Tibi, dilecta fuit, jucundaq; Conjux,
Qvâ Genus & Formam, qvâ pietatis opus!
Lecta Tibi, selecta fuit, fœcundaq; Conjux,
Pignora pacifici qvâ speciosa Thori!
Hempeli, Themidos Custos & Mysta sacratæ,
Consilijs pacis, bellificisq; potens.
Hâc Te cum Thalami privat Consorte fideli
Mors inopina, animi Te gravis angor agit!
Te gravis angor agit! Te mœror lancinat æger!
Te fœdant lacrimæ! Te cruciatus edit!
Te! sed qvid torqvent mea verba pathetica pectus,
Cûi nihil est, præter dulce levamen, opus?

Morta-

Mortales nasci mortali semine nôsti?
Mortalis Conjux nataq; morte cadit;
Morte cadit: Verùm Christô revocante resurget,
Cœlicâ & æternos vivet in arce dies.
Lecta Tibi, dilecta Tibi, jucundaq; Conjux
Qvæ fuit hîc, ibi erit (credito) lecta magis.
Ergò modum nimio mœrori ponito: Conjux
Jungetur cœli rursus in axe Tibi:
Fiet ubi solidus, qvin perpetuabitur ille,
Qvi fuit hîc fragilis nec diuturnus, Amor.

θεραπείας καὶ συμπαθείας ἕνεκεν l. q. fecit

M. Martinus Bambamius P. L. &
Sch. Sed. Sen. ConR.

S Chvvalgia *nata fuit tua conjux, Corculum amore*
Dives, Lux thalami, docta Magistra domus.
Hempeli, *Doctor cultissime juris & æqvi*
Arte, fuit tantum præteriÿtq; bonum.
Conjux Conjugÿ nexum dissolvit amici,
Et metamorphosin cor subÿt miseram,
Lux thalami deleta jacet, Virtusq; probata
Conciliare sibi non valet inde Lares.
Infixa hæc cordi meditatio possit honorem,
Qvæq; huic addo libens, posthuma vota mea.
Accipe, Christe, tuam Servam, nec perde redemtam,
Qvanti vis precÿ! sangvine in innocuo.
Qvæq; tuo verbo nunqvam contraria visa est,
Qvæq; fuit pariter flumine mersa sacro.
Qvam non rejecit sacræ Communio mensæ,
In vitâ æternâ participetq; cibum.

Fac

Fac cum Patre suo reliquâq; propagine gentis
Eximiæ gustet gaudia plura poli.

f. ex συμπαθείας Christianæ affectu

Jacobus Möllerus Coll. Sch. Senat.

Allusio ad nomen piè defunctæ Matronæ.

QUidnam flere juvat conjugis optimæ
Secessum ad superos, fataq; prospera?
Queîs, ceu nominis omen
Designat, requiem poli
Jnvenit placitam, libera jam malis,
Hempeli Themidos Justitiæq; lux
Et Dux inclyte, conjux
Sedes nunc superas colit.
Hæc postquam vario turbine & impetu
Sat concussa fuit, singula jam mali
Solatur mala mundi,
Illam commodior locus
Felicem excipiens hæc levat omnia,
Mens exultat ovans in manibus Dei,
Vah quæ gaudia sentit
Nullâ re violabilis!

Debiti honoris ergo condolens fundeb.

Thomas VVismarus S. S. S. Coll.

Descen-

D*Escendens nuper* CHRISTUS *de* monte, leproso
Et paralytico *opem fert medicante manu.*
Tollit namq; lepram, *tollit* paralysin *inertem*,
Leprosum & Mystas *mandat adire sacros.*
HEMPELI, Themidos Cultor *Clarissime*, Conjux
Dum moritur, qvô animô, pectore qvóve feres?
Tu de monte *poli venientem respice* CHRISTUM:
Uxori *Medicas obtulit ille manus.*
Turpis dum lepram *peccati sustulit*, illi
Æthereæ sedis regna beata dedit;
Qvæ mala nulla, lepram *nullam, certamina nulla*
Noverunt, miseram nec paralysin *habent.*
Hanc *CHRISTUS* lepræ *mundatam sordibus ultrò*
Cœlesti sistit sanctificatq; PATRI.
Flere quid ergo juvat? CHRISTUS *bona pharmaca cordi*
Apponat, luctum qvæ relevare qveant.

Συμπάσχων ἔγ.

Adamus Rubacus Pomeranus.

QVot, mala mors, dulci conjunctos rumpis amore,
Expellens animas corpore falce pias?
Qvos sincera fides, qvos vincla arctissima jungunt,
Pallida disjungis bestia; sternis humi.
Matre piâ sobolem privas; Uxore maritum,
Urnæ das omnes; pharmaca nulla juvant.
Sic, *Vir Clare*, tuam mors abstulit invida *Costam*,
Solius arbitriô, qvi regit astra, DEI.
Mortua qvâ corpus, mentem manus ardua Christi
Servat, humus *gratâ* membra *qviete* fovet.
Non igitur caussam video, *Vir Magne*, doloris.
Felix, in Christô qvi benè finit iter.

Ex verô & lugubri Adf. adp.
Joan. Christoph. Hagemeister, Pom.

EPITAPHIUM
Ultimis p. d. honoribus consecratum.

CUi, dum vita fuit mortali in Corpore, vixi,
Huic, dum vita fugit, nunc Ego vivo, DEO.

In veræ Condol. tess. hoc adp.
E. Hohenholtz *P.*

MOrs parcit nulli, & mortales abripit omnes,
Nullius est nec erit mors superanda manu.
Hanc non forma movet, nec virtus inclyta flectit,
Ut ponat rigidam pectore duritiem.
Nos omnes morimur; *dura lex aspera mortis*
Debita naturæ solvere qvemq; jubet.
Non Cæsar, Princeps, nec Rex inventus in orbe est,
Qvem sineret tristis mors superesse diu.
Hoc satis ostendunt Matronæ fata suprema,
Cujus jam gelidâ membra teguntur humo:
Hæc qvanqvam Matrona fuit virtute corusca,
Illa tamen mortem vincere non potuit.
Sic placuit Domino, Domini nomen benedictum,
Rex superûm clemens evocat orbe pios.
Felix, qvi sanctè vitâ defungitur, hæc mors
Non damni, lucri causa putanda boni.

Condolentiæ ergo fecit
MARTINUS BRINCCIUS
Sedinô Pom.

Dialogus Parcæ & piè Defunctæ.

Parca.

CUr ego desistam, mandatô munere fungi;
Aut, cur contractô deponat spicula ab arcu

Mors

MORS falcata suô? *sic te placet ire sub umbras!*

Defuncta.

Me *licet umbra tegat*, qvæ *fumus, phlegma, cinisq́;*
Mens *tamen Eoa conscendit limina sedis.*
Qvî mihi *longævos optarem* Nestoris *annos*,
Qvam DEUS altitonans *nunc in meliora locavit?*

f.

Ludovicus Jacobi Sed. Pom.

Pater qveribundus.

HEi mihi! qvid merui? mea qvid dulcissima lecti
Pignora? qvid fidi promeruêre Lares?
Talia qvòd surgunt inimici nubila fati,
Qvêis contristatus stat Torus atq; domus.
Heu domus infelix validæ subducta columnæ!
Conjuge denatâ, vincula rupta tori!
Me miserum! adversæ qvi jactor turbine sortis.
Qvî cordis potero vulnera tanta pati?
Mœstô filiolas animô revocare parentem
Amissam video, flere, dolore nimis.
Hinc qveror: & nimius præcordia mœror adurit,
Dum Gnatæ pergunt imbre rigare genas.

Filiolæ plorabundæ.

Qvid truculenta mali nobis, ò Morta, parâsti?
Dum matrem â nobis prorsus abire jubes.
O scelus infandum! mediô sub flore juventæ
En nobis Genitrix optima surripitur.
Occubat heu mater, qvæ nobis, qvæq́; parenti
Tempore adhuc longô vivere debuerat.
O infausta dies, qvâ Mors crudelis inussit
Tam durum Patri filiolisq́; malum.

Adfines consolabundi

Heu lacrymæ, gemitus heu qvid? Clarissime Doctor,
Noli filiolas discruciare magis.
Vulnera dira tuis membris inflicta fatemur,
Qvæ tamen, ut fas est, sunt relevanda tibi.
Triste malum Gnatis charæ jactura parentis:
Sed DEUS ille Parens usq; manebit eis.

Dolens scr.
Joachimus Schawkirch Neob-Megapol.
Duc. Pæd. Stet. St.

Lethifera mortis fauces cùm gurgite solvunt
Vincula, spumanti, corporis ac animæ:
Mens rediviva, sui memor ortus, patria visit
Limina, quæ dudùm liqverat, acta procul.
Non igitur Mors est, extremi saucia fati
Hora tot ærumnas ultima cum resecat.
Spiritus ast placidas animi mutatur in auras,
Et repetit victor culmina celsa poli.
Hos Defuncta tulit *felix de morte triumphos,*
Funere quam tristi mors inopina tulit.
Membra licet lateant, inqvit, sub mole sepulcri,
Mens tamen æternâ luce corusca micat.
Hanc Pietas *seqvitur,* Virtus *comitatur, & auget*
Jubila sublimi Gloria *tripudiô.*

Daniel Pfeiffius Sedino-Pomer.

SIc est; Dura nimis gravisq; Parca
Clotho volvit opus globô ligatum,
Et sævâ vice summa adæqvat imis.
Non illam retrahunt Lydi Midæve
Aut Crœsi aut Arabum recentiores
Gazæ, & qvod Tagus aureis harenis
Euphratesq; vehit nitens Smaragdis;

Aut

Aut Hermus rutilante donat aurô,
Aut Indus calido propiuqvus orbi.
Nec Virtus potis est fugare atrocis
Parcæ stamina, nec severa Pallas;
Qvin natum Nasamonij Tonantis
Angustum pariter premat sepulcrum;
Nec supplex Priami potentis aurum;
Qvamvis Sidonio superbus Ostro
Se comat Nero dulcibus theatris,
Jussi præcipitem subire Lethen.
Et celsas igitur ferire turreis,
Atq; æqvô pede pauperum tabernas
Immanis solita est movere Clotho.
Qvin & verticibus perenne nostris,
Ceu saxum grave Tantalo minatur,
Immensisq; qvatit sedens in umbris
Urnas Æacus inferosq; placat.
Nec cessavit adhuc cruenta Parca,
Dum suis jaculis piam necavit
MATRONAM Generis nitore dignam;
Qvæ recondita in hoc cubat sepulcrô,
Qvalem blanda Venus daretq; Juno
Censu sangvine, gratiâ perenni,
Formâ atq; ingeniô suô decoram.
O dirum scelus! ô scelus! TIBIMET
Cum non Parca pepercerit; Qvis unqvam
Vere stamine liber à tuo sit?
Debet, Parca nocentior (qvia hoc est
Immutabile) Cæsar ipse filo
Condonare tuo, minus tui exors.
Ne mœstæ lacrumis genæ recessum
Turbent. SCHVVALGIADUM GENUS peremptum
Felix Elisijs tenetur oris.

Petrus Poleman, Sed. Pom.

O Tristes sortes! ô lamentabile fatum!
Vitâ homo nil, constans qvod qveat esse, tenet;
Cuncta sed adversis afflat sors lubrica ventis;
Cumq; labore dolor, cumq; dolore timor.
His qvassata lubens bene jam defuncta reliqvit
Mundi vana, petens splendida tecta poli;
Splendida tecta poli, sedes ubi fata qvietas
Ostendunt verâ Religione Piis:
O igitur felix, vereq; beata! beati
Sic omnes illi, qveis bene cura mori.

Condolens apponebat
Johannes Jebsen Sonderburg. Holsatus.

Vidi Egomet vestrum, dilecte ô Patrue, Amorem
Mutuum, & ex animô lætus abundè fui.
Jam lacbrimas video, quas tu, Patrue inclite, fundis
Conjugem ob exstinctam, quæ tibi chara fuit.
Hinc etiam tecum, meritò jam lugeo. Certè
Altera [prô!] Mater mortua namq; mihi est!
Jova Tibi præstet solamina, firma, Tuisq;
Te servet vivum, servet itemq; mihi.

Debitæ observantiæ & gratitudinis ergo
cum gemitu & lachrimis fundebat
Samuel Gothfridus Hempelius.

FINIS.